

156 ICOSANDRIA MONOGYNIA.

& ceteræ pollent. Succus alvum purgat vehementius. DALE.

ICOSANDRIA
MONOGYNIA.

PRUNUS LAURO-CERASUS: floribus racemosis; foliis semper virentibus; dorso biglandulosis.

Planta ex Trapezunte in Europam anno 1576. advecta est; cujus folia officinæ receperunt: diuretica, narcotica vi pollet a LINNÉ. Flores, & folia odorem sat gratum possident; folia cum Lacte cocta huic amygdalinum saporem tribuunt; in quem usum diu trahebantur, quousque lethales inde secuti effectus, usum hunc noxium, generique nervoso inimicum, ostenderunt. JOANNES PHILIPPUS du ROI. *de Cultura Arborum sylvestrium p. 198. edit. Germ.* Ubi etiam refert, cum aqua destillata du HAMEL experimenta in cane fecisse, quem dosi unius cochlearis hujus aquæ intus ingestæ interfecit. Aperta hac victima, curatissima etiam inspectione, nullum Inflammationis vestigium detegere potuit, præter exaltatum amygdalarum amararum vehementer suffocantem odorem, aperto ventriculo illico erumpentem.

PRUNUS SPINOSA: pedunculis solitariis; foliis lanceolatis, glabris; ramis spinosis.

Mani-

ICOSANDRIA PENTAGYNIA. 157

Manipulum florum præcipue recentium, in infuso aquoso, aut vinoso, alvum bene atque sine ulla molestia ducere, satis compertum habemus. Fructus si maturus, esculentus est; ex quo immaturo succus expressus sub nomine Akaciæ germanicæ prostabat adstringens. Ex eodem fructu nigrum colorem conficere solent.

Onomat. Botan.

PENTAGYNIA.

SPIRÆA FILIPENDULA: foliis pinnatis; foliolis uniformibus, serratis; caule herbaceo; floribus corymbosis.

Radix, herba, officinalia sunt. Radix diuretica est; folia infusa, vel decocta, in Ictero conveniunt. BOERHAAVE. DALE.

POLYANDRIA

MONOGYNIA.

ACTÆA SPICATA: racemo ovato; fructibus baccatis.

Planta veteribus jam ut venenata nota; Aconitis ab iisdem ideo adnumerata; ut à LINNÉ *Fl. Lapp. N^o. 217. p. 176.* suspicatur.

» Unum vel alterum *inquit* novimus triste exemplum eorum, à quibus baccæ assumptæ;
 » ut mirum nobis non videatur, cur Veteres
 » eam ad Aconita demandaverint. » Baccæ
 ipsæ